

- 45 quod eam me amare suspicatas? *GN.* nil minus. 435  
 immo auge mage suspicionem. *TH.* quor? *GN.* rogas?  
 scin, si quando illa mentionem Phaedriae  
 facit aut si laudat, te ut male urat? *TH.* sentio.  
*GN.* id ut ne fiat haec res solast remedio:  
 50 ubi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam 440  
 continuo; siquando illa dicet "Phaedriam  
 intro mittamu' commissatum," Pamphilam  
 cantatum provocemu'; si laudabit haec  
 illiu' formam, tũ hũiu' contra. denique  
 55 par pro pari referto quod eam mordeat. 445  
*TH.* siquidem me amaret, tũm ȳstuc prodesset, Gnatho.  
*GN.* quando illud quod tu das exspectat atque amat,  
 iamdudum tẽ amat, iamdudum illi facile fit  
 quod doleat; metuit semper quem ipsa nunc capit  
 60 fructum nequando iratu' tu alio conferas. 450  
*TH.* bene dixti, ac mihi ȳstuc non in mentem venerat.  
*GN.* ridiculum; non enĩm cogitaras. ceterum  
 idem hõc tute meliu' quanto invenisses, Thraso!

## ii THAIS THRASO GNATHO PARMENO PYTHIAS

- TH.* Audire vocem visa sum modo militis.  
 atque eccum. salve, mi Thraso. *THR.* o Thais mea, 455  
 meũm savium, quid agitur? ecquid nos amas  
 de fidicina istac? *PA.* quam venuste! quod dedit  
 5 principium adveniens! *TH.* plurimum merito tuo.  
*GN.* eamus ergo ad cenam. quid stas? *PA.* em alterum: